

Serpentes quippe Israelitis murmurantibus immissi
 satis illud superque declarant. Vide *Num. XXI, 6.*
 Taceo jam *Hiskia* morbum *2. Reg. XX, 1.* morbum
 itidem *Jorami, 2. Chron. XXI, 15.* morbum *Asse,* quem
Podagricum fuisse nonnulli existimant, *2. Chron. XVI,*
12. & qui primo omnium loco nominandus erat, do-
 lorificum valde *Jobi* patientissimi morbum, qui ab i-
 pso Cacodæmone eidem inflictus legitur. *Job.*
II, 7. 8. Quanta autem ægotantium turba in N. T.
 nobis obvenit! Certè si vel solos Evangelistas *Γεο-*
πνεύς & c. evolvamur, morbos plurimos eosque mirè
 à se invicem discrepantes deprehendimus. Modò
febri decumbens Petri socrus conspicitur, modò of-
 feruntur *Energumeni,* modò *Paralytici,* modò *Epile-*
ptici. Mox homo *manum ἔνεον* habens, mox muli-
 er *profluvio sanguinis* laborans, mox fœmina *incur-*
vata listitur. Et quid de *Hydropicis* dicam, quid de
mutis, cæcis, surdis, atque aliis miserimè afflictis æ-
 grotantibus? Egit de his eruditissimè *Thomas Bar-*
tholinus in suo, quem de *Morbis Biblicis* inscripsit,
 Tractatu, qui speciatim quoque de *Paralyticis N. T.*
 singularem libellum evulgavit. Cui haut sine fructu
 adjungi poterit *D. Valentini Henrici Vogleri,* Medi-
 cinæ quondam in Academia Juliâ Professoris, *Com-*
mentarius de rebus naturalibus ac Medicis, quarum
in Scripturis Sacris fit mentio. Quemadmodum au-
 tem morbos & plurimos & valdè molestos, quin &
 sæpiùs